

panetis cum omnibus pertinentiis suis omnium supradictorum locorum. Præcipimus etiam, ut omnes Vassalli prædictorum condemnatorum postquam fuerint admoniti infra dies 30. Bonifacio marchioni Montisferrati jurent fideliter. Quod si non fecerint feuda sua sibi adjudicata esse noverint, & ablata, & sæpe dicto Bonifacio marchioni donata, & applicata, & eum omnia illa feuda defendere juvabimus bona fide, & obtinere; quæ concessionis hujus constituti ut firma in eum permaneat, præsentem inde paginam jussimus conscribi, & eam nominis nostri sigillo communiri præcipientes, & regali edicto sancientes, ut nulla persona humilis, vel alta, sæcularisque, vel Ecclesiastica hanc concessionis paginam audeat infringere, aut ei ausu temerario contraire. Hujus rei testes sunt.

Godofredus Aquilegiensis Patriarca. Wilielmus Astensis Episcopus. Otto Frisingensis Episcopus. Bonifacius Novariensis Episcopus (2). Bernardus Parmensis Episcopus. Gerardus Bononiensis Episcopus (3). Sigifredus Mantuensis Episcopus. Arditio Mutinensis Episcopus. Petrus Regiensis Episcopus. Conradus dux de Rotenbergo. Opizzo Marchio de Este. Petrus Præfectus urbis, Reinerius (4). Comes de Blandrate, Henricus Testa, Marefcalcus, & alii quam plures.

(1) Hæc ex Marchionis Bonifacii accusatione, eo quod legatos Januenses per suam terram iter habentes comprehendissent (Cassari anal. ad hunc annum) sed de his, aliisque quæ hanc sententiam consecuta sunt, latius alibi. (2) Novarum. (3) Berardus. (4) Remensis.

*Conventiones inter Commune Urbæ & Cesarea.*

79

MCXCII.

Anno Domini Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo secundo indictione X. die martii exeuntis januarii in Castro de Urba præsentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur Otto de Tamna, Vermus de Ner, & Guido Scarranus Consules de Urba in plena concione & consilio, & consensu Oberti Jarmanæ, Manfredi Gabbi, Johannis Maltrotti, Vermi Grassi, Mauri Draconis, Manfredi Bajoni, Magistri Anrici Fulconis, Bacevetulæ, Manfredi Zamotei, Gili Cavalli, Jacobi Guarnerii, Uberti Alamani, & Anfredi Gaverii, Vermi de Archipresbitero promiserunt, & convenerunt Bonello, & Vermo Francisco Consulibus Cesareæ nomine, & vice Communi Cesareæ salvis rationibus dominorum suorum scilicet Hospitalis domini Opizonis, & nepotum ejus Iurconi, & Scorgnæ, quod faciunt quatuor perticas fossati in Albareto, & manutenebunt illas, & remundabunt illas cum expedierit, & murabunt illas quatuor perticas, si alia fossata civitatis murabuntur. Item promiserunt se fodrare semel in anno si tota Civitas Cesareæ fodrabitur, & dato de illo spodro lib. octo den. bon. pap. Communi Cesareæ. Item debent facere pacem, & guerram, cum Commune Cesareæ fecerit, & facere voluerit. Item debeant facere hostem & exercitum sicuti Commune Cesareæ. Et insuper omnes isti juraverunt omnia qualiter supra legitur

super sancta Dei Evangelia per suum Saltarium attendere observare prædicti Otto de Tama, Vermus de Ner, & Guido Scarranus consules, & eorum consilarii hanc chartam fieri rogaverunt ut supra. Interfuerunt testes rogati Ganducius Orcus, Rubaldus Tapinus, Ruffinus Buccaccius, Rubaldus de Donna amandula, Vermus de Trinchis, Goldanus de Amedeis.

Eodem anno & ibidem die Dominico VI. exeunte 10 januariario in Cesarea in platea majori in præsentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur: Petrus Canefrus, Manfredus de Stulto, Otto Durcus, Bonellus Rubeus, Thebaldus Gualonus, Coniggia de Verro, Anricus Visagius, Vermus Franciscus, & Manfredus Zaccarellus Consules Cesareæ in plena concione promiserunt, & convenerunt Ottoni de Toma, Vermo de Ner, & Guidoni Scarrano Consulibus de Urba nomine, & vice Comuni de Urba . . . . (1) & eorum res, & rationes, & justitias, si aliquis horum veniet ex Urba ad habitandum in Cesarea, vel alio iret ad habitandum teneretur dare fodra, & facere expensas & alia sicuti alii homines de Urba de hoc quod habet, vel haberet in pertinenti de Urba. Item si Commune Cesareæ faceret aliquod conquistum pecunia, ut homines de Urba solvent suam partem pecuniæ, habebunt suam partem pro rata. Et si homines Communis Cesareæ facerent aliquod conquistum per forciam, & homines de Urba interfuerint, debent habere partem conquisti pro rata. Item si homines velint venire ad habitandum in Cesarea, vel in Casalibus promiserunt quod recipient illos. Isti Consules juraverunt super sancta Dei Evangelia per suam porcionem omnia ista attendere, & observare. Et inde hanc chartam fieri rogaverunt ut supra. Interfuerunt testes rogati Obertus Sarmanus, Manfredus Temeteus, Manfredus Bajonus, Maurus Draco, Manfredus Gambarutus, Vermus de Archipresbitero, Ganducius.

(1) Hic apud Schiavinam nulla apparet lacuna, quam certo adesse & sensus, & ratio evincit.

*Donatio domus Canonice Aquensi.*

MCXCII.

80

Anno Dom. Nat. MCXCII. Indiçt. X. die sab. 4. non. mensis aprilis in civitate Aquensi Johannis Sagner donat, & relinquit Canonicis de Aquis in manu Domini Ardicionis Archipresbiteri, Azonis Cantoris, & Agradii Massariis, & Iordanis Canonicorum suam domum inferiorem versus calidam, & frigidam cum omnibus suis adjacentiis a Medrico usque ad rivulum calidum, & ipsi adlociant eum in omnibus suis beneficiis. Interfuere testes Otto Carracia, Petrus Scau, & Rubaldus ejus filius, Petrus Attoninus, Ugo Avenæ, Ogerius Bergugnus, Rubaldus Jurtus, Onescalcus, Uberius Henricus Oca, Petrus de Burgo, & Salitina. Ego Mauro Not. S. P. videns protocollum Petri Notarii jussu, & auctoritate Consulium ann. 1207. ec. . . . .

*Privilegium*